

# EPISTULA LEONINA

## CLXXIII

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXXII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM TERTIAM (173) !**

## **ARGUMENTA**

<b>RESERVATIO IACOBEA.....</b>	<b>03</b>
<b>FABELLA GRIMMIANA: De Multipellita (Allerleirauh).....</b>	<b>04-11</b>
<b>NARRATIUNCULAE... (VI) (Thoma, Lausbubengeschichten).....</b>	<b>12-20</b>
<b>SALVATOR LEONARDI (Keim).....</b>	<b>21</b>

## **LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam septuagesimam tertiam (173). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!*

*Denuo cena tibi apparata est opipara: tolle lege fruere!*

*In scholis Badeniae-Virtembergae hodie finiuntur feriae aestivae. Omnes collegas et discipulos faustis omnibus prosequor, ut novum annum scholarem degant quam felicissimum atque fructuosissimum!*


Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicâ, 09. m.Sept., a.2018**



Иаков брат Господень, апостол  
Iacobus frater Domini apostolus  
Russica pictura iconica.

**ΕΑΝ Ο ΚΥΡΙΟΣ ΘΕΛΗΣΗ ΚΑΙ ΖΗΣΟΜΕΝ  
ΚΑΙ ΠΟΙΗΣΟΜΕΝ ΤΟΥΤΟ Η ΕΚΕΙΝΟ**

**SI DOMINUS VOLUERIT ET VIXERIMUS  
FACIEMUS HOC AUT ILLUD**

VULGATA Iacobus 4,15 ἀντὶ τοῦ λέγειν ὑμᾶς, ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ καὶ ζήσομεν καὶ ποιήσομεν τοῦτο ἢ ἔκεινο. Haec formula ex Epistulâ Iacobi excerpta appellatur CONDICIO sive RESERVATIO IACOBEA, et brevius dicitur SUB RESERVATIONE IACOBÆA. Abbreviations sunt s.c.J. aut s.c.I. Similes locutiones inveniuntur his locis: ACTUS APOSTOLORUM 18,21 Iterum revertar ad vos Deo volente. PAULUS ad Romanos 1,9-10. id. ad Corinthios I 4,19. 16,7. id. ad Philippenses 2,19.24. id. ad Hebraeos 6,3. cfr PLATO Alcibiades I 135 d ὅτι ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ. cfr SENECA Epistulae morales 107,11 Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Necnon inest reservatio Iacobea cuidam \*neniolae, quâ cunariae Germanae olim solebant sopire infantulos; eadem enim incipit a verbis q.s. "Guten Abend, gut' Nacht": Morgen früh, wenn Gott will (Deo volente), wirst du wieder geweckt. Hoc βαυκάλημα (EPISTULAE SOCRATICÆ 27) populare pulcherrimâ melodiâ instructum est a Iohanne Brahms.

## FABELLA GRIMMIANA

### 65. De Multipellitâ (*Allerleirauh*)



#### FABELLA QUAM QUI LEGERIT RELAXATUS OBDORMISCET

Aliquando fuit rex, cui fuit uxor auricoma, quae fuit pulchrior, quam ut ulla mulier similis pulchritudinis inveniretur in toto orbe terrarum. Factum autem est, ut regina aegrota sentiens se mox esse morituram regem advocaret et: »Si post mortem meam« inquit, »iterum mulierem in matrimonium duces, ne ullam ducas, queso, nisi tantâ pulchritudine sit quantâ ego sum et tales capillos aureos habet quales ego; hoc debes mihi polliceri«. Cum rex uxori hoc pollicitus esset, eadem oculos clausit et mortua est.

Per longum tempus omnis consolatio dolore rēgis victa est; qui non cogitavit alteram mulierem in matrimonium ducere. Tandem consiliarii dixerunt: »Absolutē oportet, ut rex iterum conubium ineat, ut habeamus reginam«. Deinde nuntii huc illuc longē latēque emissi sunt, ut sponsam quaererent, quae reginam mortuam pulchritudine aequaret. At talis mulier in toto orbe non inventa est, et si quae inventa

erat, tamen eadem non habuit capillos tam aureos quam habuerat regina mortua. Itaque nuntii re infectâ domum venerunt.



At rēgi fuit filia, quae ipsa tantā fuit pulchritudine, quantā fuerat mater eius mortua, necnon habuit tales capillos aureos quales olim habuerat mater. Rex filiam adultam cum aliquando aspiciens animadverteret eam omni modo similem esse uxori mortuae, subito amore vehementi puellae correptus est. Deinde consiliariis suis dixit: »Volo filiam meam in matrimonium ducere, nam ea uxori meae mortuae est simillima et alteram sponsam illi similem non inveniam«. Hōc audito consiliarii territi: »Deus« inquiunt, »interdixit, ne pater filiam in matrimonium duceret, e peccato autem nihil boni orietur et regnum unā vobiscum peribit«. Filia autem, cum decretum patris audivisset, etiam magis territa est, sed speravit fieri posse, ut patrem ab incepto averteret. Tum patri dixit haec: »Antequam inquit, »optatum tuum explebo, postulo, ut mihi des tres vestes, unam, quae sit colore tam aureo quam sol, alteram, quae sit colore tam argenteo quam luna, tertia, quae sit colore tam nitido quam stellae; praeterea postulo amiculum ex pellibus mille generum compositum, et omnis bestia regni tui oportet particulam cutis suaे det, ut hoc amiculum

consuatur». Puella enim intra se cogitavit: »Quia fieri omnino non potest, ut haec omnia comparentur, eadem cum postulo, patrem meum aверto a cogitatione suâ improbâ«. At rex non desiit rem tractare, et virginibus in eius regno aptissimis texendae erant tres vestes, una tam aurea quam sol, altera tam argentea quam luna, tertia tam nitida quam stellae; necnon venatori omnes bestiae totius regni fuerunt capienda eisque fuerunt singulae particulae cutis detrahendae; ex his autem consumum est amiculum operis pellicei mille generum. Tandem omnibus perfectis rex iussit amiculum apportare et coram filiâ evolvere et: »Cras« inquit, »fiant nuptiae«.



Filia rēgis cum videret nullam iam esse spem animi paterni mutandi, consilium cepit fugiendi. Nocte, cum omnes dormirent, puella surrexit triaque sui cimelia secum sumpsit: aureum anulum, aureum rhombum<sup>1</sup>, aureumque alabrum<sup>2</sup>, tres vestes sōli, lunae, stellis similes imposuit nucis putamini, induit amiculum multiplicis operis pellicei, faciem manūsque denigravit fuligine. Deinde Deo se mandans

<sup>1</sup> \***rhombulus**, -ī m. orig. *Spinnrädchen*. cfr rhombus, -ī n.

<sup>2</sup> \***alabrum**, -ī n. orig. *Haspelchen*. cfr ālābrum, -ī n.

profecta migravit per totam noctem, usque dum vénit in silvam magnam. Cum autem fatigata esset, in arbore cavâ consedit et obdormivit.

Sole exorto puella perrexit dormire nec desiit alto iam sole<sup>1</sup>. Tum factum est, ut rex, qui hanc silvam possidebat, in eâdem venaretur. Cum eius canes ad hanc arborem venirent, sagiverunt, circa eam cucurrerunt, latraverunt. Tum rex venatoribus dixit: »Videte, qualis bestia fera ibi lateat«. Venatores huic mandato obsecuti redeuntes: »In arbore cavâ« inquiunt, »iacet bestia mira, qualem numquam vidimus: eius enim cuti adhaerent pelles mille generum; at eadem iacet et dormit«. Deinde rex: »Studete« inquit, »ut illam capiat vivam, deinde vincîte ad currum et vobiscum auferte«. Cum venatores puellam attingerent, eadem vehementer territa experrexit et illos obsecrata est: »Sum puella misera a patre et a matre reicta, mei miseremini meque vobiscum abducite«. Tum illi: »Multipellita, tu apta es ad coquinam curandam, veni nobiscum, cinerem converres«. Itaque illi puellam currui impositam domum in castellum regium vecti sunt. Ibidem sub scalis puellae stabellum<sup>2</sup> attribuerunt, quod a radiis solis non collustrabatur, et: »Heus Bestiola pellita« inquiunt, »hîc habites atque dormias«. Deinde puella in coquinam missa ligna aquamque portabat, ignem excitabat, volatilia vellebat, holera purgabat, cinerem converrit, omnesque exanclabat labores sordidos.

Ibi Multipellita per longum tempus perquam miserê vixit. - Eheu, filia rēgis miserrima, quidnam fiet de te? – Sed aliquando factum est, ut festum in castello celebraretur, et puella coquo dixit: »Licetne mihi paululum ascendere et aspectare? Velim foris ante ianuam sistere«. Coquus autem respondit: »Bene, eas, sed post semihoram oportet revenias et cinerem comportes«. Deinde puella lucernulam sumpsit, descendit, stabellum suum intravit, vestem pellitam exuit, fuliginemque e facie manibusque eluit, ut denuo appareret plenâ suâ pulchritudine, haud aliter ac sol lucidus exit e nubibus nigris. Deinde

---

<sup>1</sup> **altō sôle:** orig. *als es schon hoher Tag war*. cfr SEN.Ep.122,1...Turpis qui **alto sole** semisomnus iacet, cuius vigilia medio die incipit... cfr Pierre Gassendi, *Animadversiones in decimum librum Diogenis Laertii*, qui est de vita, moribus, placitisque Epicuri. Ed. tertia. Lugduni 1675, p.416: "Die igitur Iulii XXX. Mane distit Venus ab aestimato Solis centro gr.26. min.3.idque **alto iam Sole** gradibus undecim cum semisse;..."

<sup>2</sup> **+stabellum, -ī n.** orig. *Ställchen*. Latinum verbum est diminutivum *stabuli*. Saepe confunditur cum *scabello*, quod est instrumentum ad pedes imponendos aptum. cfr Paul Vinogradoff, *The Growth of the Manor*, Cambridge 2005, Chapter II – Roman influence, p.44: „stabellum (ystafell, stable)“. -

puella nucem aperuit vestemque exemit, quae fulgebat tamquam sol. His factis ascendit ad festum participandum, et omnes obviam eentes de viâ decesserunt, nam nemo eam noverat, necnon putaverunt eam esse filiam alicuius r̄egis. Rex autem puellae obviam v̄enit, manum ei porrexit, cum eâ saltavit, intra se cogitavit: »Puellam tam pulchram numquam viderunt oculi mei«.

Saltatione finitâ puella dorsum inclinavit et rex cum se convertisset, ea evanuerat, nec ullus scivit, quo puella abiisset. Vigiles autem, qui ante castellum stabant, vocati sunt et rogati, sed nemo eorum illam conspexerat.



Puella autem in stabellum suum cucurrerat, celeriter vestem exuerat, faciem manûsque denigraverat et amiculum pellitum induerat, ut denuo fieret Multipellita. Nunc autem cum in coquinam veniret labores exanclatura cineremque conversura, coquus: »Haec facias« inquit, »sed fac coquas hanc sorbitionem r̄egi apponendam, ego quoque velim aliquantulum aspectare festum, quod supra celebratur. At cave, ne ullus incidat capillus, alioquin nihil iam tibi dabitur ciborum«. Deinde coquus abiit et Multipellita coxit sorbitionem paniceam, idque quam optimē, et sorbitione perfectâ Multipellita in stabello sumpsit anulum suum aureum eundemque imposuit patinae, in quâ sorbitionem coxerat. Saltatione finitâ rex iussit sorbitionem sibi afferri eamque comēdit et haec sorbitio r̄egi tam bene sapuit, ut ïdem sentiret se numquam comedisse meliorem. At cum hauriendo fundum patinae assecutus esset, conspexit anulum aureum ibi positum. Nec

intellexit, quomodo idem eo esset allatus. Tum coquum iussit se accedere. Coquus autem mandatum regis cum audiret, territus Multipellitae dixit: »Verisimile est sorbitioni incidisse capillum; si hoc reverâ factum est, tu vapulabis«. Coquus cum coram rege staret, is rogavit, quisnam coxisset sorbitionem? Coquus autem respondit: »Ego coxi«. At rex: »Hoc« inquit, »non est vêrum, nam ea aliter multoque melius cocta est quam solita«. Tum coquus: »Non possum« inquit, »quin confitear non me coxisse, sed Bestiolam pellitam«. Deinde rex: »I et iube illum ad me ascendere«.

Multipellita cum veniret, rex rogavit: »Quis es?« - »Misera sum puella iam expers patris atque matris«. Nunc rex perrexit quaerere: »Quem ad finem in castello meo versaris?« Illa autem respondit: »Ad nullam rem apta sum nisi caligae circumiciuntur capiti meo«. Porro rex: »Unde accepisti anulum, qui infuit sorbitioni?« Tum puella: »De anulo nihil scio«. Itaque rex cum nihil cognovisset de Multipellitâ, non potuit quin dimitteret.

Aliquanto post iterum festum celebratum est, et iterum Multipellita, ut antea, coquum rogavit, ut sibi permitteretur aspectare homines festum celebrantes. Is autem respondit: »Permitto, sed post semihoram reversa coque regi sorbitionem paniceam, quam ille comedit libentissimè«. Tum Multipellita in stabellum cucurrit, celeriter se lavit et e nucis putamine exemit illam vestem, quae tam argentea fuit quam luna, illamque induit. Tum puella ascendit filiae regis similis, et rex puellae obviam iens gavisus est se eam revidere, et cum modo saltatio incoharetur, rex cum puellâ saltavit. At saltatione finitâ puella iterum celerius evanuit, quam ut rex animadverteret, quo illa abiret. Sed puella iterum saluit in stabellum suum, seque reddidit Bestiam pellitam et iit in coquinam, ut sorbitionem coqueret paniceam. Cum coquus supra esset, Multipellita rhombum aureum sumpsit et patinae imposuit, ut sorbitio conficeretur supra eundem. Postea sorbitio ad regem est allata, qui eam comedit, et sorbitio ei tam bene sapuit quam antea, et iussit coquum venire, qui nunc quoque non potuit quin confiteretur sorbitionem confectam esse a Multipellitâ. Iterum Multipellita vénit ad regem, sed rogata respondit se ad nihil aptam esse nisi caligae circumicerentur capiti suo, neque se quid scire de illo rhombo aureo.

Tertio autem cum rex festum iuberet celebrare, res haud aliter acta est ac antea. Coquus quidem dixit: »Tu cum sis maga, Bestia Pellita, semper aliquid indis sorbitioni, ut eadem melior fiat r̄egique melius sapiat quam sorbitio a me cocta«, sed quia Multipellita non desiit rogare, coquus permisit eam abire in aliquantum temporis.



Nunc puella vestem illam induit, quae fulgebat tamquam stellae, et oecum intravit. Tum rex tertio cum puellâ saltavit putans eam numquam antea fuisse tam pulchram. Idem autem saltans digito puellae submissius imposuit anulum aureum, quam ut illa hoc animadverteret, et imperavit, ut saltatio ageretur per tempus longius. Eādem autem finitâ rex puellam voluit manibus retinere, sed ea raptim se a r̄ēge absolvit saluitque inter homines tam celeriter, ut oculos r̄ēgis fugeret. Nunc puella cucurrit quam celerrimē in stabellum suum scalis suppositum, sed quia nimis diu, diutius semihorâ in castello remanserat, non iam potuit exuere vestem pulchram, sed eidem superiecit amiculum pellitum, et cum properaret, non iam totam se denigravit, sed unum digitum reliquit albam. Multipellita autem nunc cucurrit in coquinam, r̄ēgi sorbitionem coxit paniceam, necnon imposuit, postquam abiit coquus, alabrum aureum. Rex autem cum alabrum invenisset in fundo patinae impositum, iussit Multipellitam advocare. Tum digitum album conspexit et vidit anulum, quem saltans

puellae affixerat. Tum manu apprehensâ puellam retinuit, et cum vellet se absolvere et aufugere, amiculum pellitum paululo est apertum, ut vestis stellaris aliquantulum e pellibus fulgeret. Tum rex amiculum apprehensum abripuit. Deinde capilli aurei apparuerunt, ut puella patefieret ornatissima, ne diutius lateret. Cum autem puella fuliginem cineremque e facie absterrisset, pulchrior facta est quam umquam ullus homo visus erat in toto orbe terrarum. Rex autem: »Tu es« inquit, »sponsa mea carissima, nec umquam inter nos dividemur«. Denique nuptiae sunt celebratae et ambo vixerunt hilariter usque ad mortem suam.

\*     \*

## **FABELLAM GRIMMIANAM**

**C.T.**

*Allerleirauh*

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

\*     \*

# NARRATIUNCULAE PUERI MALE MÓRATI *(Lausbubengeschichten)*

*Quas scripsit*

**LUDOVICUS THOMA**

*in Latinum convertit*

**NICOLAUS GROSS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**PARS SEXTA**

Pars I: EL 144, 4-12; pars II: EL 145, 7-14; Pars III: EL 155, 4-16;  
Pars IV: EL 164, 14-23. Pars V: EL 169, 13-19.



## **LUDWIG THOMA**

(1867-1921)

Circa a.1909 pinxit Karl Klimsch.

*Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimē calcitret contra stimulum civium abderitanorum.*

*Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi sistema scholae vilelmianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.*

*Eius »Narratiunculis pueri male mōrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.*



## **PARS SEXTA (VI)**

### **Capitulum 6**

#### **Nuptiae**

*(Die Vermählung)*

Narrabo etiam de nuptiis, quas unâ celebraverunt mea soror et *Professor Bindinger*. Hae factae sunt die aliquo Martis, quo toto vacuus fui ab institutione scholari. Accepi novam synthesin vestiarium et mihi surgendum fuit multo mâne, ut paratus essem recto tempore. Nam domi fuit affectus animorum excitatissimus, nec umquam ianua desiit aperiri claudique, et cum tintinnabulum sonabat, mater mea clamabat: »Quidnam fit, Catharinula?« Soror autem mea clamabat: »Statim! Statim! Iam iam adsum«, et deinde ianuam aperiebat, et cum advenerat vir scatulam afferens aut epistulam, omnes mulieres quiritabant ianuasque suas raptim claudebant, nondum enim erant perfectê indutae.

Deinde vînit famulus et dixit primum currum cum parvulis adesse, et denuo factus est tumultus. Mater mea vocavit: »Esne paratus, Ludovice?« et Maria clamavit: »Agedum, fac properes!« Evidem laetus fui, cum essem infra.

In curru autem sedebat *amita Frida* cum suis filiabus *Anna* atque *Elisabetha*. Quae erant candidis vestimentis induitae et cincinnis calamistratis, quales geri solent festo confirmationis. Amita autem statim quaesivit: »Estne Mariola satis beata? Quod facile est animo fingere, quia illa nubit viro tam bellulo; quod nemo suspicatus erat, quia is fuit tuus professor!«

Iam sciveram istam viperam vetulam<sup>1</sup> semper nobis aliquatenus adversari et, ubicumque posset, matrem meam laedere. At ego quoque iam saepe illi molestus fui, et nunc dixi Annae filiae faciem lenticulis<sup>2</sup> scatere eiusque lentiginem in dies augeri. Deinde autem cum essemus prope ecclesiam et iremus in sacristiam<sup>3</sup>, oportuit amita quamvis irâ incensa sermonem meum pateretur patienter et esset affabilis, quia Dominus parochus allocutus est eam.

Nunc vénit currus, cui infuit *patruus Franciscus* cum *amitâ Augustulâ* eorumque filio *Maximiliano*, qui odio mihi est. Patruus Franciscus est familiae nostrae omnium vir divitissimus, quia possidet typographeum<sup>4</sup> librorum et est – valde pius, quia possidet etiam ephemeridem catholicam. Eum si visitas, accipis imagunculam hominis sancti, sed numquam accipies ab isto pecuniam aut aliquid comestibile. Qui semper simulat se Latinê scire; at tantummodo frequentavit scholam theodiscam, non Latinam. Amita autem Augustula cum etiam magis pia sit quam patruus, solet matri meae affirmare nos nimis raro ire in ecclesiam ideoque effectum esse totum infortunium meum, quo familia nostra tam vehementer vexetur.

Isti intrantes primo parochum accesserunt, deinde amita Augustula amitam Fridam osculata est et amita Frida dixit: »Ah hodie tu geris ornamentum tuum granatinum<sup>5</sup>; scilicet nos non posse gerere ornamentum tam pretiosum«.

<sup>1</sup> **vípera vetula**. orig. *die alte Katze*. Varia nomina hominum increpatoria sensu originali spectant ad serpentes: **vípera venenata** (CIC.har.resp.25,55: de Clodio); **vípera** (PETR.77,1: Trimalchio de uxore suâ); **éxetra**, -ae f. (PLAUT.Cas.644: de servâ procaci; LIV.39,11,1: de amatâ filii); **nátrix**, -ícis f. (de Caligulâ).

<sup>2</sup> **lenticula**, -ae f. orig. *Sommersprosse*; angl. *freckle* CELS.6,5. cfr **lentigo**, -inis f. PLIN.nat.20,9; 23,89.

<sup>3</sup> **sacristia**, -ae f. orig. *Sakristei*. Cfr Albert Sleumer, Kichenlateinisches Wörterbuch, Limburg a.d. Lahn 1926, p.687: „sacristeria, ae f. Sakristei“.

<sup>4</sup> **typographēum**, -ī n. orig. *Druckerei*.

<sup>5</sup> \*grānatīnus, -a, -um orig. *Granat//*. cfr Ducange, Glossarium mediae et infimae Latinitatis, tom.3, Parisiis 1844, p.55: „GRANATINUS..., GRANATUS, carbunculus, lapis pretiosus rubicundior,...“

Plurimum gavisus sum, quod *avunculus Iohannes* vénit cum *materterâ Annâ*. Is est saltuarius<sup>1</sup>, et apud eum iam fui feriarum tempore. Idem hilari fuit animo et semper ridebat me imitante amitam Fridam, quam dicebat esse excetram exsecrabilem<sup>2</sup>. Hodie idem vir gessit collare camisiae et iterum iterumque manu tangebat collum. Puto eum fuisse quadam animi difficultate, quia circumdatus erat tot peregrinis, iterum iterumque in angulum itabat.

Sacristia magis magisque complebatur. Duo magistri gymnasii nostri venerunt, professor matheseos et magister scribendi. Deinde cognati agnatique Bindingeri; duae sorores eius et frater, magister gymnasticus scholae realis, cuius pectus superbiâ erat tumidissimum. Unâ cum his dominis semper vehebantur iuvencae, quas ignoravi. Unam tantum noveram, *Rosam Weinberger*, bonam amicam Mariae. Omnes habuerunt fasciculos florum; quos semper ante facies tenebant satis stultê subridentes, quamvis nulla esset causa, cur rideretur.

Nunc vénit mater mea cum *avunculo Iosephulo*<sup>3</sup>, qui est consiliarius telonialis<sup>4</sup>, et statim post eos Bindinger et Maria et paranymphus<sup>5</sup>. Idem fuit centurio pensionarius et Bindingeri cognatus remotior, indutus veste uniformi, quae erat insigni honorifico ornata; amita autem Frida dixit amitae Augustulae: »Heus, Deo gratias agamus, quod illae feliciter piscatae sunt praefectum militarem«<sup>6</sup>.

Ianua sacristiae apertâ nos agmine uniti debuimus ire in ecclesiam. Bindinger et Maria in mediâ parte ante altare genua flexerunt, et parochus exiit et sermonem habuit et illos rogavit, num vellent conubio coniungi. Maria perquam submissê dixit se velle, sed Bindinger rem affirmavit voce bassâ horribili. Deinde missa sacra lecta est, quod factum est per tantum temporis spatium, ut me eiusdem taederet.

---

<sup>1</sup> *saltuârius*, -iī m. orig. *Förster*.

<sup>2</sup> *éxætra exsecrâbilis* orig. *verdammte Wildkatze*. cfr *éxætra*, -ae f. (PLAUT.Cas.644: de servâ procaci; LIV.39,11,1: de amatâ filii).

<sup>3</sup> *Iosêphulus*, -iī m. orig. *Pepi*.

<sup>4</sup> *cônsiliârius \*teloniâlis* orig. *Zollrat*.

<sup>5</sup> *paranymphus*, -iī m. orig. *Brautführer*. AUG.civ.6,9; 14,18.

<sup>6</sup> »Heus, Deo gratias agamus, quod illae feliciter piscatae sunt praefectum militarem«. orig. *Na, Gott sei Dank, daß sie einen Offizier aufgegabelt haben*.

Spectavi illuc ad avunculum Iohannem, qui stabat vicissim uno aut altero pede nixus et petasum suum inspectans et screans et caput scalpens.

Deinde is animadvertisit se a me aspectari, oculis nictavit et furtim pollice indicavit amitam Fridam. Tum autem sic dentes restrinxit ut illa hoc solet facere. Tum ego risum non tenui. Frater Bindingeri umerum meum pulsavit et dixit, ut decentius me gererem, et amita Augustula cubito impulit amitam Fridam, ut ad me prospiceret, et deinde ambae perquam desperatē ad lacunar prospicientes capita quassabant.

Tandem missa finita erat et nos omnes in sacristiam processimus. Tum incohatae sunt gratulationes abundantissimae; domini Bindingero manum porrigebant, et materterae et puellae omnes Mariam osculabantur.

Amita autem Augustula<sup>1</sup> et amita Frida ierunt ad matrem meam, quae iuxta stabat et lacrimabat, et dixerunt hunc diem esse felicem et matri et omnibus. Deinde etiam complexae sunt matrem meam eamque osculatae, et avunculus Iohannes, qui stabat iuxta me, petasum protendens dixit: »Attende, Ludovice, ne illae mordeant vetulam tuam matrem«.

Nunc mihi quoque eundum fuit ad Bindingerum, ut ei gratularer. Is dixit: »Gratias tibi ago et spero te inde ex hōc tempore factum iri meliorem«. Maria nihil dixit, sed medullitus me osculata est, et mater mea capite meo permulso lacrimans mihi dixit: »Nonne, Ludovice, mihi polliceris te inde ex hōc die factum iri hominem meliorem?«.

Paene flevi, sed hoc non feci, quia amita Frida in propinquo fuit oculosque suos virides in me tenebat directos. Consilium autem cepi firmissimum, ne quas molestias facerem carae matri meae.

---

<sup>1</sup> amita Augustula orig. *Tante Gusti*.

In *Cauponā ab Agno*<sup>1</sup> facta est cena nuptialis. Sēdi inter Maximilianum et Annam filiam amitae Fridae. E sede mēa vidi Mariam et Bindingerum; matrem meam non vidi, quia eadem latuit post magnum fasciculum florū. Primo nobis apposita est bona sorbitio, deinde piscis magnus.

Praeterea accepimus vinum album; dixi Maximiliano, ut experiretur, uternam nostrum hyalum ebiberet celerius. Ille hoc fecit, sed ego prius ebibi. Deinde puer caponius iterum nobis vinum infudit.

Tum Iosephulus patruus hyalo impulso orationem habuit, qua dixit a familiā celebrari festum pulchrum, cum eadem puellam florentissimam e mediā parte suā tradidisset viro forti, quocum vinculo coniuncta pro certo haberet rem evasuram esse bonam. Et Bindingero Mariaeque propinavit, ut ambo viverent crescerent florerent. Evidem cum ceteris fortiter conclamavi iterumque unā cum Maximiliano expertus sum, uternam nostrum hyalum celerius evacuaturus esset. Ille autem iterum a me victus hyalo vacuefacto vehementer erubuit. Deinde apposita est caro assata cum acetariis.

Subito iterum pulsatum est et surrexit avunculus Franciscus. Qui dixit hoc conubium eo praecipuē esse sollemne atque magnificentum, quod factum esset ipsā in ecclesiā praesente ministro Dei. Si liberi educarentur more catholico, hoc esse meritum parentium. Itaque post par coniugum iuvenile commemorandos esse parentes, praesertim illam mulierem, quae puellam tam excellenter educavisset. Et propinavit matri meae, ut viveret, cresceret, floreret.

De his verbis equidem vehementissimē gavisus clamavi voce sat magnā et cum hyalo vini matrem accessi. Quae surrexerat eiusque facies clemens fuit ruberrima, cum propinabat omnibus cum collisu hyalorum<sup>2</sup>. Mater autem iterum iterumque dicebat: »Utinam hoc expertus esset maritus meus« et avunculus Iohannes ei propinans cum firme collisu hyalorum: »Verum enim vero« inquit, »iure oporteret illum nunc nobis assidere, et tu es sororcula mea vetula carissima«.

---

<sup>1</sup> *Caupōna ab Āgnō* orig. *Gasthaus zum Lamm*. Cfr Karl Ernst Georges, Kleines Deutsch-Lateinisches Handwörterbuch, 9.ed., Darmstadt (WB) 1969, col.2795 s.v. zu I,1): „Auf den Schildern der Wirtshäuser heißt 'zu' im Lateinischen ab mit Abl., z.B. *zum Hahn, a gallo gallinaceo* (Inscr.).“

<sup>2</sup> \*(alciū propīnāre cum collīsū hyalōrum) orig. *mit jm. anstoßen*.

Deinde uno haustu hyalum evacuavit et manum dedit omni praetereunti iterum iterumque dicens: »Hoc sciat diabolus, ille oporteret ut nunc nobis assideret!«

Accepimus etiam gallinam assatam et placentam et glaciem edibilem, et cauponius circumiens infudit vinum campanicum. Dixi Maximiliano: »Multo durius est uno haustu hoc vinum ebibere, quia eo modo fauces mordentur vehementissimē«. Ille hoc conatus est facere, et reverā fecit, sed ego hoc non feci, sed consedi iuxta avunculum Iohannem. Omnes erant hilares, praesertim iuvenculae<sup>1</sup> ridebant satis magnā voce, iterum iterumque propinabant. At amita Frida caput convertit ad illas et vegetē collocuta est cum amitā Augustulā. Audivi Fridam dicentem suā aetate iuvenili iuvenes non fuisse tam liberas.

Amita autem Augustula dixit has nuptias esse aliquatenus prodigas profusasque, sed fratriam<sup>2</sup> liberorum causā semper fuisse nimis sumptuosam.

Tum tertio pulsatum est, et patruus Franciscus surrexit et dixit filium suum Maximilianum carmen esse recitaturum in honorem magistri sui venerabilis, sponsi felicis.

*Conticuere omnes*, et Maximilianus surrexit et conatus est incipere. At non potuit, quia concidit et facie fuit pallidissimā. Tum vehementer conclamatum est, et amita Augustula semper clamitabat: »Quidnam accidit huic puerō?«

Plerique autem riserunt, quia viderunt Maximilianum esse inebriatum, et amita Frida adfuit ceteris Maximilianum in conclave iuxta situm fermentibus.

Puerum autem stibadio imposuerunt, sed cum idem nausearet, amita Frida diu a nobis afuit, quia necessarium fuit, ut purgaret vestem suam. Eadem autem intrans mihi dixit Annam sibi iam dixisse me

<sup>1</sup> **iuvencula**, -ae f. orig. *junges Mädchen*. cfr VULG.Tim.5,2. TERT.adv.Iud.9.

<sup>2</sup> **frātria**, -ae f. orig. *Schwägerin*. PAUL.Fest. 90,5. aut uxor fratrius aut uxor fratrius mariti.

culpam contraxisse, sed nemo ad amitae verba attendit, quia Bindinger atque Maria abierunt.

Maria subito miserabiliter lacrimans iterum iterumque matrem amplectebatur. Bindinger autem iuxta eas stans vultum contraxit, quasi funeris esset particeps. Mater autem Mariae dixit haec: »Nunc quidem felix es, mi filiola! Nunc quidem habes maritum probum«.

Bindingero autem ea dixit: »Tune facies eam felicem, nonne? Tune mihi hoc polliceris?«

Bindinger autem respondit: »Quod conabor facere cum Deo«.

Deinde a Mariâ valedicendum fuit amitis materterisque, et vehementissimê flevit Lottula consobrina nostra, quae ipsa iam habet annos quadraginta, sed non habet maritum.

Tandem illis licuit abire. Bindinger autem praeiit et Maria lacrimis abstersis matri meae sub ianuâ etiam innuit valedicens.

»Eccillam abeuntem« mater mea perquam submissê dixit cogitabunda. Lottula autem iuxta eam stans: »Ita abit« inquit, »ut agna abit ad lanium«.

## **SEXTUM CAPITULUM OPERIS C.T.**

### **NARRATIUNCULAE PUERI MALE MŌRATI** (»Lausbubengeschichten«)

**QUOD SCRIPSIT LUDOVICUS THOMA**

**IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS**

## SALVATOR LEONARDI



**SALVATOR MUNDI. CA. A.1500 PINXIT LEONARDO DA VINCI.**

*Francus (Frank) Keim*, auctor libelli, quem in EL 172 (p.21-25: „*Venus, Jupiter & Co.*“) annuntiavimus, nos certiores fecit se ipsum ad rem tractandam non usum esse illâ picturâ Leonardi a nobis annuntiantibus allatâ (p.22), sed eâ, quam nunc hac paginâ (v. supra) monstramus: Haec pictura a.2011 demum attributa est *Leonardo da Vinci* (1452-1519). Antea dicta erat confecta esse a *Giovanni Antonio Boltraffio* (1467-1516). Haec pictura invenitur in museo artis figurativae Londinensi, quod appellatur *National Gallery*.

Ceterum *Francus Keim* ipse annuntiat se in **Universitate Ulmensi (Universität Ulm) d.Mercurii, 14. m.Nov. a.2018, in aedificio O 25, oeco 346, h.17-18.30h** acroasin facturum esse, cuius titulus sit hic qui sequitur: *Die Entdeckung der Jupitermonde durch Giorgione, Leonardo und Dürer im Oktober 1501* (i.e. Latinê: Quomodo m.Oct. a.1501 lunae Iovis inventae sint a *Giorgione, Leonardo, Dürer*). Idem investigator medullitus invitat ad hanc acroasin audiendam omnes, quorum interest pernoscere astronomiam necnon artem figurativam.

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABBERTITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	<b>0050 5A</b>	978-3-938905-22-7	<b>CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1</b> — Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	<b>0060 5A</b>	978-3-938905-18-0	<b>SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM —</b> Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	<b>0070 5A</b>	978-3-938905-23-4	<b>CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 —</b> Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM</b>	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	<b>CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 —</b> Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	<b>0040 6A</b>	978-3-938905-25-8	<b>CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2</b> — Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	<b>EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 —</b> Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	<b>ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS</b>	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	<b>OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA</b>	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9								
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90	



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM TERTIAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Dominicâ, 09. m.Sept. a.2018**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**